

Povijest zagrebačkih Isusovaca od g. 1608.—1618.

U kr. zem. arhivu u Zagrebu nalazi se u odjelu rukopisa pisana povijest zagrebačkog jezuitskog kolegija. Naslov joj je „*Historia collegii Zagrabiensis*.“ U njoj su pobilježeni događaji kolegija od g. 1608.—1618. Pisana je na 8 listova papira u formatu kvarta. Pismo je čitljivo i čisto. Tko ju je pisao, nije označeno; ali iz samoga teksta razabire se, da ju je pisao jedan član jezuitskog kolegija u Zagrebu. Po pismu i papiru, može se ustanoviti, da je pisana u XVII. vijeku, a možda baš oko g. 1618. — Papir imade vodeni znak talijanskog papira iz početka XVII. vijeka.

Istomu rukopisu dodane su na dvije stranice istog formata, bilješke o prepozituri glogovničkoj takodjer XVII. vijeka.

Jedno i drugo bilo je nekoč dijelom arkiva kolegija jezuitskoga u Zagrebu, nu pošto su oznake prekrížane i izrezane, ne da se ustanoviti u koji su fascikul spadale.

Rukopis ovaj od znamenite je važnosti za povijest zagrebačkog jezuitskog kolegija, a ne manje za kulturnu povijest grada Zagreba.

Historia

Collegii Zagrabiensis.

Slavonia provincia, quam olim M. Valerius Messala Corvinus a suo nomine Valeriam (teste Bonifacio) denominaverat, sita est inter Savum et Dravum fluvios haud ignobiles, qui regionem hanc emersi per finitimae Ungariae planiciem vastis alveis in Dunubium, Europae fluminum maximum, longo decurrunt circuitu. Ad orientem et meridiem Turcarum immanitate premitur, a septentrione Styriam, ab occidente conterminam habet Carniolam. Gentis lingua est Illyrica. Mores nec compta adeo nec adeo maligni, quos tamen mirum in modum condimita erga avitam religionem sedemque apostolicam propensio. Est quoque

provinciae huic coeli temperies nec incommoda, ubertas terrae ac vine-
torum copiosa. Porro gentis huius metropolis est Zagrabia, civitas montis
Graecensis ab antiquo nuncupata, vetustate magis quam aut murorum
aut aedificiorum splendore conspicua, libera et regia, non quia regum
sedes, sed quia nullius praeter regum Hungariae agnoscit imperium.
Magno vero est ornamento metropoli oppidum canonicorum cathedralis
ecclesiae, quod modica valle torrenteque exiguo a muris civitatis secer-
nitur, est enim in eo augustae molis templum a regibus Hungariae in
honorem sancti Stephani primi regis Hungariae maximis impensis aedi-
ficatum, quod tum ab ararum sacrarum multitudinem, tum operosam
grandium saxorum congeriem praecipuis Europae fabricis adnumerari
potest. Hoc inter oppidum et regiam urbem vetus et antiqua fuit si-
multas. Oppidani enim aut potius ipsi cathedralis ecclesiae sancti Ste-
phani canonici freti opibus cives Zagrabienses pauperiores vario prae-
textu despiciatui habebant, quibus etiam ius fori et nundinarum adimere
sunt conati, cuius rei gratia magna utrinque odia orta, magnae forenses
controversiae, quae domestico non contentae foro ad sedem regiam
Posonium translatae multis duraverunt annorum curriculum. Cum autem
Zagrabienses praeter proprium curionem, nullum alium haberent sa-
cerdotem, cogeranturque nonnunquam in absentia proprii sacerdotis ca-
nonicorum, quos exosos habebant uti opera in sacris administrandis, ut
se hac molestia liberarent, ad nostros Zagrabiam suam civitatem in
monte Graeco (ut ait Bonfinius) positam evocandos, auctore Benedicto
Blasekouitch, homine haeretico Calviniano, cive et causidico dictae civi-
tatis, animum adiecerunt.

Qua de re consilium suum in primis anno domini 1601. Posonii
in Vngaria tempore comitiorum generalium cum patre Ioanne Zanitio
gentis eiusdem homine, ex canonico olim Nitriensi nostrae societatis
religioso facto, sacerdote vero insigni, prudentia et pietatis zelo praedito
communicarunt, et apud eundem institerunt, uti Zagrabiensis civitatis
hoc desiderium provinciali societatis declararet perficeretque, ut ad Za-
grabiam in officio pietatis continendos duos e nostris Zagrabiam expe-
diret. Pollicitus noster sacerdos quod petebant, plenos bonae spei de
nostrorum in eam urbem adventu cives dimisit. Interea annum est
evolutum spacium, nullusque nostrorum Zagrabiam profectionem suscepit,
vel quod Zagrabienses remissius urgerent, vel quod provincialis idoneis
ad eam missionem destitueretur personis. Pater tamen Zanitius promissi
memor apud superiores societatis Zagrabiensium egit causam, excurren-
dique in Slavoniam petiit facultatem. Et impetrata, profectus Zagrabiam
est anno 1603. cum patre Petro Vragovitio nobilis Sclavi filio, in speciem
quidem nil nisi eiusdem patris Petri visurus parentem, reipsa tamen
illi alius fuit animus. Excurrit enim Zagrabiam, situmque loci, quo do-
micilium societati erigi posset accuratius consideravit. Ut venit, per-

humaniter est a civibus acceptus, magnamque illis adventu suo attulit laetitiam; sed quia non venerat eo animo, ut Zagrabiae tum sedem figeret, ideo maiorem illis suo abitu tristitiam, quam adventu pepererat laetitiam. Revertit itaque in Vngariam pater Zanitius ibique vixit, donec in mutuuum exitium duce et auctore Stephano Bochkaj exarsit Vngaria, exercitumque tum ex domestico, tum ex mercenario Turcarum conflavit milite, quo maiorem ipsa sibi cladem quam finitimis intulit regionibus. Pulsi eodem anno (is vero fuit 1604.) nostri ex Hungaria, temerario sive Hajdonum, sive consciorum eiusdem belli haereticorum cesserunt furori, quos expulsos vicina Austriae, Moraviae, Bohemiaeque benigne exceperunt collegia. Tum pater Ioannes Zanitius Turocio venit Viennam, ibique Stephanum Ratkaj unius dynastae Sclavi filium, nostrae vero societatis religiosum incidit, cum quo iussu superiorum haereditatis adeundae causa profectum in Sclavoniam necessario oppidum Zagrabiensium canonicorum (in eo enim haereditariae lites, et aliae fori ecclesiastici controversiae decidi solent) adire debuit. Cum autem urbis regiae Zagrabiensis muros praeterveheretur, cives ex urbe effusi primarios duos senatores, legatos miserunt, qui benevole eundem patrem Zanitium cum socio invitarent, et in urbem inducerent; aut si id recusaret, suppliciter saltem cum eo agerent, ut in tam pia causa apud provincialem serius esset Zagrabiensium patronus, clareque exponeret provinciali, egere cives hortatoribus ad studia pietatis, rudem adolescentiam praeceptoribus, omnes denique indigenas plura sibi polliceri emolumenta, siquam citissime nostri in hanc urbem advolaverint.

Animadverso tam flagranti Zagrabiensium desiderio, pater Zanitius serio se adlaboraturum pollicitus, uti ne diutius nostrorum affligantur absentia, gratiisque pro tam benevola civium invitatione actis, oppidum canonicorum cum socio est ingressus, ubi negotio ex animi sententia confecto, Viennam est reversus. Quia vero Zagrabienses iterata obsecratione totum eius occupaverant animum, nil aliud frequentius pater Ioannes mente agitavit, quam quomodo petitioni eorum satisfacere, nostrisque viam ad illam metropolim aperire posset, qui cum videret multis incommodis praepeditam, variisque frustrationibus Zagrabiensem differri missionem, nihil quod ad eam maturandam proficeret reliquit intentatum, donec effecit, ut reverendus pater Ferdinandus Alber collegii Viennensis rector, viceprovincialis Austriae (provincialis enim Alphonsus Carillius in Hispaniam certas ob causas discesserat) Zagrabiensis missionis expediendae curam susciperet. Itaque quaeruntur operarii, qui vitae et doctrinae exemplo Zagrabiensibus usui esse possent, quique eorum animis studium iniicerent nostros homines et amandi et retinendi. Nullus vero ad hoc negotium accomodatior ipso patre Ioanne Zanitio inveniebatur, sed nec socius aptior patre Petro Vragoutio, viro ad conciniandum singulari gratia praedito. Hos viceprovincialis ad Zagrabienses, qui iam

dudum magno nostrorum tenebantur desiderio, primos misit, primosque ibidem prima iussit ponere nostri domicilii initia. Quam voluntatem patris viceprovincialis uterque patrum avide sane arripuit, ac Zanitius quidem procuratoris officio in collegio Novodomensi defunctus, Vragouitius vero concionibus latinis, quas ad studiosos olim Olomutii habebat abruptis, nihil cunctati per Hungariam Zagrabiam contenderunt, ac tandem 28. octobris, die qui fuit apostolis Simoni et Judae sacer, anno 1606. urbem feliciter ingressi summa omnium gratulatione sunt excepti.

Agebat per illud tempus iudicem civitatis (quae dignitas hoc in loco inter cives est amplissima) Balthasar Vlahouich; hic nostros tempore bimestri mensae suae adhibuit, cubiculumque iisdem et lectum domi suae instruxit, et alia hospitalitatis officia exhibuit, publicis tamen expensis civitatis. Exactis apud hunc duobus mensibus migraverunt nostri, volente senatu in aedem Petri Kuslyan civis Zagrabiensis, ruinosam illam quidem et perincommodam, sed pro illo tempore nostris perquam necessariam. Hinc deinde ventum ad ministeria societatis serio exercenda, conciones habendas, confessiones tum civium, tum eorum qui in agris circumquaque habitant excipiendas. Quo factum, ut brevi ex adventu nostrorum communis ad omnes promanarit utilitas, quam etiam vicinum canonicorum oppidum est expertum. Nam ut omittam reformatos non mediocriter canonicorum mores abolitas quasdam pravas consuetudines; coenobium sane sancti Francisci in eodem oppido situm, licet olim et aedificii praestantia et fratrum frequentia longe fuerit celeberrimum, postea tamen propter iniquitatem temporum plurimis annis extreme dirutum ac desertum, hodie ex occasione nostrorum apparet egregie restauratum. Postea enim quam Franciscani nostros venisse Zagrabiam intellexerunt, metuentes, ne vacuum illorum monasterium nostri auctoritate reverendissimi Zagrabiensis episcopi Simonis Bratulich occuparent, maximis itineribus in oppidum canonicorum ex Vngaria advolarunt, ex illoque tempore coeptus in coenobio cultus divinus continuatur, iamque insigni religione et frequenti hominum concursu locus quondam desertus celebratur. Eadem prorsus ratione ingressus nostrorum Zagrabiam Varasdiensium civitati fuit fructuosus. Nam eo etiam eiusdem ordinis religiosi audita nostrorum praesentia redierunt, atque in domicilium, quod relinquerunt ex Hungaricis monasteriis postliminio sunt reversi.

Dum haec ita fiunt pater Ioannes Zanitius missionis Zagrabiensis superior de loco et domo commodiori sit sollicitus, iam enim tertium acceperat socium ad labores domesticos obeundos, Petrum Moralem, Hispanum, cuius accessu habitatio nostrorum reddita est non nihil angustior atque incommodior, ut, si vel uno plures accessissent, vix eadem domus omnes capere potuisset. Fuit aedificium paulo capatius quidem sed aequè ruinosum et fatiscens parvoque intervallo distans a priore domo, ad moenia civitatis ab oriente situm, in quo serenissimus Fer-

dinandus archidux Austriae atque illarum partium praecipuus propugnator sui armamentarii praefectis habitationem assignaverat. Hoc patri Zanitio petendum ab archiduce visum, sive quia melius non inveniebat, sive quia magnam spem concipiebat fore, ut ex eo in vicinarum quoque aedium facili negotio deveniret possessionem. Itaque principem adiit petendi aedificii gratia; quod ille suo insigni in societatem amore, et divini cultus ubique terrarum propagandi, animarumque iuvandarum vehementi studio haud gravate concessit nostris, literasque ad senatum Zagrabiensem dedit, quibus illi patres societatis in dictam domum a se liberaliter donatam introducendi potestatem fecit.

Tum vero introductis nostris in locum commodiorem, pater Zanitius de personis augendis, ac de censu residentiae cogitationem suscepit. Vixerant enim hactenus nostri quotidianis pene tum civium tum nobilium magnatumque regni huius eleemosynis, variis ab iisdem nutriti bonae spei pollicitationibus, quas cum irritas et sine eventu in longum tempus abire pater Zanitius adverteret, neque rationem aliam nostris iuvandi, eorumque habitationem stabiliendi meliorem in praesenti videret, velletque molestia quotidianae stipis ab hominibus non adeo copiosis petendae liberari, ut haereditas Stephani Ratkay (de quo supra mentio est habita) Zagrabiensi residentiae applicaretur, cum superioribus egit ac confecit. Erat haec summa quingentorum florenorum vngaricorum iure haereditario ex bonis paternis fratri nostro Stephano Ratkay vita ipsius durante, quotannis debita, aegre nimis et magno labore a fratribus Ioanne et Georgio Ratkaj, proceribus et dynastis partium illarum non sine contentione forensi anno 1605. extorta. Nam cum illi religioso nihil deberi ex maiorum suorum bonis contenderent, nihilque prorsus se daturos affirmarent, causa tota in ius ac forum deduci debuit, et ad regias usque aures perferri. Qua de re informatus rex, ut pertinaciam duorum fratrum compesceret, Ioanni Draskouitch Sclauoniae proregi severe in mandatis dedit, ut haereditatem Ratkaianam ex aequo inter fratres dividat, nec quidquam minuat de portione religiosi. Prorex (banum hic vocant), rem cordi sumpsit, et pro suo in nostros amore ac observantia ex antelatis variis difficultatibus, eam strenue pro causa nostri fratris egit. Hic tamen, ut animos fratrum regio mandato haud parum exacerbatos pacatiores redderet, intercedente praesertim ipso prorege aliisque amicis non paucis, ita negotium cum fratribus transegit, ut ex tota sibi debita portione quingentos duntaxat florenos vngaricos, dum ipse viveret quotannis pensitarent, eosque ad primum diem ianuarii coram venerabili capitulo Zagrabiensi loco authentico deponerent, libere inde ab ipso fratre Stephano cum vellet tolendos mediante chirographo, quo se pecuniam accepisse a dicto capitulo Zagrabiensi affirmaret. Quod si vero fratres diem determinatum deponendae pecuniae negligenter, vel alio quovis modo factam transactionem violarent, liberum tum fore nostro

contractum solvere et suam portionem iustam ac integram in bonis stabilibus occupare. Haec igitur summa volente ipso Stephano Ratkaj, fratre nostro, superioribus annuentibus, ad terminum vitae eiusdem Stephani, applicata est residentiae Zagrabiensi anno 1606. primo die mensis ianuarii, altero post factam inter fratres conventionem anno. Primi enim anni pensionem idem frater Ratkaj consentiente patre provinciali Alphonso Carillio dedit collegio Graetiensi, praeter centum florenos per patrem Zanitium in hac ipsa causa expositos.

Censu isto huic residentiae decreto de gymnasio ad iuventutem erudiendam instituendo actum. Erat archiducali domui, quam nostri iam incolebant, vicinum sanctae Catharinae templum, quod pietas militum, dum Turcae Petrinam occuparent, in annonae militaris cameram converterat. Hoc templum una cum adiuncto Dominicanorum olim monasterio, ruinis et rudibus deformato et pene solo aequato, et una cum horto, senatus pro scholis aedificandis societati obtulit. Accepto loco pater Zanitius parietinas auxilio civico caemento firmare, gymnasium aedificare coepit, scriptisque ad viceprovincialem litteris tres ad inchoandas Zagrabienses scholas magistros, patrem Ioannem Vegium Saxonem Transylvanum, Leonardum Praesulem Slavum, Jacobum Matthiadem Silesium impetravit, qui primi ad imbuendam litteris pueritiam Graecio Zagrabiam anno 1607. venerunt, menseque maio praesente reverendissimo Zagrabiensi episcopo Simone Bratulich, sancti Pauli primi eremitaee generali, spectante etiam canonicorum collegio, aliisque viris nobilitate claris, habita prius in templo sancti Marci parochiali latina nostro magistro Leonardo Praesule oratione, collectis aliquot pueris ex templo ad locum gymnasii processerunt, scholasticosque labores sunt exorti. Auctis nostris, civium etiam et reverendissimi crevit munificentia, nostrisque alimenta et pecuniam subministrando, auxilio fuerunt. Cives enim ducentos viginti quinque florenos obtulerunt, quibus viatica tum magistrorum tum patris Zanitii sunt persoluta. Eodem anno beneficium et sacellum sanctorum Fabiani et Sebastiani in templo sancti Marci constitutum a civibus societati est datum, cum pratis, agris, silvula, colonis tribus et vinea una, muro civitatis subiecta, eique adiuncta area, ubi domus familiae et praediolum extrui posset, quod beneficium voluntate reverendi provincialis nostri usque ad perfectam foundationem collegii admissum fuit. Et quia neque in templo domestico sanctae Catharinae propter ruinas, neque in sacello sanctorum Fabiani et Sebastiani ob intercaepidinem loci nostris opportunum fuit divina peragere, ab iisdem civibus oblatum fuit templum beate Virginis a loco collegii paululum dissitum, ubi nostri sacris operarentur cui olim monialium coenobium adiunctum fuit, cuius modo vix vestigia extant. Cum hoc templo dati sunt coloni quinque, agri duo, foeneta tria, de quibus tamen an ad templum beate virginis vel sanctae Catharinae pertineant est aliqua lis. Quae porro

cives societati obtulerunt, de iis litterae nullae datae. Hoc etiam anno in usum nostrum perpetuum pater Ioannes Zanitius vineam unam a doctore Daniele Rosenbergensi 90 florenis et domum unam 90 nostrorum aedi a septentrione proximam emit, alteram vero a meridie vicinam 110 florenis cives nostram fecerunt. Demum plurimis laboribus pro hac residentia exantlatis pater Ioannes Zanitius tria in societate vota professus, adulta iam aetate, morbo torminum extinctus, ad praemia coelestia evolavit, sepultusque est in templo s. Marci in sacello sanctorum Fabiani et Sebastiani, intra dextrum cornu altaris et intra templi parietem. Exequiarum pompam tum cives Zagrabienses maestis ob tanti viri obitum, tum reverendissimus Zagrabiensis Simon Bratulich cum suis canonicis cohonestavit.

Exempto rebus humanis Zanitio residentiae Zagrabiensis eodem anno 1607. superior factus est pater Gregorius Vasarhelj, Siculus Vngarus Transylvanus, functus est eo officio anno toto 1608., quo anno pater Ioannes Vegius ob vitiosam valetudinem Zagrabia discessit, eiusque in locum pater Martinus Slabinus, qui superiore anno advenerat, successit et syntaxim loco huius, tum supremum studium in scholis, explicuit. Pater Gregorius emptione unius vineae, pro qua plebeio homini 90 florenos numeravit, ad priorem illam a Daniele doctore emptam illique vicinam accessionem fecit. Ad priores nostros sub hoc tempus accesserunt pater Stephanus More, pater Ludovicus Lucari, pater Ioannes Mislanovich, et rebus domesticis curandis Ioannes Spesak.

Ad initium anni 1609. patre Gregorio Vasarhelj ad Vngaricam missionem Linduam abeunte, in eius locum februario mense provincialis Austriae Ioannes Baptista Argento subrogavit superiorem patrem Christophorum Dombrinum Slavum Zagrabiensem, penes quem regimen residentiae ad finem huius anni erat, is etiam ipso exitu decembris Zagrabia Labacum abiit Maiorem anni huius partem in residentia vixerunt octo, ex his sacerdotes quinque, quorum pater Stephanus More post patris Slabini abitum, qui phthisis curandae causa, qua consumebatur, coelum mutavit, scholis praefuit cum duobus aliis magistris. Unus item rei domesticae adiutor Ioannes Spesak, cui sublevando hoc anno submissi sunt adiutores Ioannes Porubski, Matthias Berger, Gregorius Adamosi. Numerus discipulorum tribus classibus distinctorum ad sexaginta supra ducentos iam excreverat, qui ante paschales ferias magna omnium approbatione Abrahami filium immolare volentis drama dederunt. Adiuncta etiam est hoc anno tribus grammaticae scholis humanitas. Fabrica domus nostrae aucta tribus cubiculis ligneis, excursiones a nostris sacerdotibus magno emolumento factae, templaque nonnulla a Turcis vastata ac violata pristinae sunt restituta sanctitati. Multorum quoque liberalitatem erga nos sumus experti, quos inter magnificus dominus Nicolaus Istuanffy, olim regni Vngariae propalatinus est paecipuus. Is

enim nobis praedium Paukouec, duobus Zagrabiā distans milliaribus viginti duobus additis colonis cum omnibus pratis, silvis et adiunctis iure perpetuo possidendum tradidit.¹⁾ Hinc fere nullus nisi oeconomii industria et agrorum cultura fructus colligitur. Reverendissimus vero antistes Zagrabiensis Simon Bratulich ad quotidiana prope beneficia aliquid ex decimis nobis tritici, siliginis et vini hoc anno obtulit. Senatus item Zagrabiensis nobis addictus, ut affectum suum erga nos declaret, circa initia huius anni septem subditos ad septennium nobis accomodavit, quorum opera nobis in vicinis vinetis et agris excolendis est perquam utilis. Taceo beneficia alia, tum pecuaria, tum pecuniaria, quibus subinde afficiunt nonnulli proceres, imprimisque illustrissimus et magnificus dominus Ioannes Draskouich, regni Sclauoniae prorex, alias banus dictus. Plurima hic de laboribus nostrorum et fructu eorundem brevitatis causa praetereo.

Annus sequitur 1610., quo residentia Zagrabiensis personas aluit 12, sacerdotes quinque, magistros tres, quatuor domesticorum laborum administratos. Hoc anno in februario substitutus est patri Chrystophoro Dombriño superior pater Martinus Kaldj Vngarus, qui Bruna, ubi magistrum novitiorum egit, advenerat. In scholis quatuor nostri occupati, Michael Sumer Stirus novos poëtas formabat, pater Stephanus Ratkaj Sclavus syntaxim, Petrus Magerle Carniolus grammaticam, Petrus Lubich Croata principia docebat. Juventus in theatrum publicum bis producta, ac primo quidem Herculem in bivio fluctuantem, deinde ipsis feriis beato patrono nostro dicatis, beatum Ignatium a vita saeculi ad militiam Christi transeuntem magno applausu tum civium, tum procerum regni agerunt. Vir eximiae eruditionis, magnaeque in hoc regno existimationis Ioannes Kruselius, iuris utriusque doctor, voto beato patri nostro Ignatio facto, a gravissimo cholicae morbo est liberatus, memorque beneficii in honorem eiusdem beati altare fieri curavit in templo nostro. In excursionibus etiam nostrorum labor fuit non inutilis, unus siquidem sacerdos, pater Ludovicus Lucari quadragesimae diebus quater mille personas a peccatis absolvit, quingentos infantes baptizavit, templum a Turcis olim pene solo aequatum, non muro solum et tecto, sed veste etiam sacra decoravit. Reverendissimus etiam Zagrabiensis Simon Bratulich vino et tritico paupertati nostrae opem tulit. Ad sacram supellectilem domi accesserunt tres vestes boni pretii, calices duo argentei. Pia foemina Cantorichka pene in extremis constituta vineam unam sitam in territorio capituli, promontorio Wrabcensi, ante mortem nobis legavit ac dedit,

¹⁾ 1610. 29. septembra u Vinici. Nikola Istvanfi darovao je pred Benkom Pakayem, protonotaro kr. personala u Ugarskoj, svoje imanje „Paukovrh“ te posjede Belovar, Hrašćinu, Vukovinu, Banje selo, Glavnicu, Križanec, u pristo-jalištu kurije Paukovrha i razvaljenog kaštela Ladomera, kolegiju jezuit. u Zagrebu. — Acta coll. S. J. Zagr., fasc. 8. No. 4. u zem. ark.

quam valetudini pristinae restituta nobis licet ultro offerentibus, ac resignantibus, animi sui sententia priore retenta recipere noluit.

Anno 1611. vixerunt in hac residentia sacerdotes septem, magistri duo, tres coadiutores. Docuerunt in scholis pater Stephanus More poësim, pater Stephanus Ratkaj syntaxim, Petrus Lubich grammaticam, Matthaeus Vodopia principia et elementa; has omnes duas scholas ab exordio huius residentiae coniunxerunt. Studiosi fuere circiter trecenti. Duas actiones, unam de fugitivo s. Ioannis Evangelistae iuvene, alteram de s. Malcho captivo, utraque cum laude spectantium exhibuerunt. Quinque ex iis ad diversas religiosorum familias transierunt. Unus ad nostram, coadiutor temporalis Ambrosius Hari, prima huius loci proles.

Data est hoc anno pro fundatione huius collegii praepositura beatissimae virginis Glogounicensis,¹⁾ sita in comitatu Crisiensi, olim Crucigerorum canonicorum regularium Hierosolymitanorum, quam multis annis saeculares sacerdotes possederunt, quorum ultimo, qui eam habuit, Vincentio Mislenovich canonico capituli Zagrabiensis, e vivis decedente, reverendissimus ecclesiae Zagrabiensis antistes Simun Bratulich, superiorem huius loci patrem Martinum Kaldi monuit, (ut) praeposituram illam pro societate impetraret. Incubuit in eam curam pater Kaldi, et datis litteris ad dominum Ioannem Draskovitium regni Sclauoniae proregem, qui tunc Viennae agebat, negotium huius praepositurae obtinendae suggerit et accurate commendat. Draskovitius et religionis nostrae amatissimus et autoritate apud regem maximus, rem pro animi sui sententia conficit. Itaque Draskovitio auctore serenissimus rex Vngariae Mathias II. eam praeposituram ad Zagrabiensis collegii fundationem benevole contulit, cuius collationem cum interea temporis, dum cum rege pro ea obtinenda a prorege agitur, Simon episcopus suam esse ex suis privilegiis cognovisset, nobis eandem suo consensu perpetuam fecit, quin et is cum litteris regiis eandem societati ad manus dedit ac consignavit, sicque reverendissimi Simonis optimi parentis nostri liberalitate et regis confirmatione eam habemus. Sedes huius praepositurae, in qua residebat praepositus cum monachis sui ordinis, fuit Glogounicza, quae una cum ecclesia olim eleganti et mole ampla, nunc post bella superiorum temporum et incendia Turcarum sine tecto penitus diruta et squalida iacet. Huic adiacebat aliquando oppidum non vulgare neque contemnendum, quod iam et loci devastatione, et incolarum paucitate, addo et paupertate, sic attritum est, ut vix pagum dixeris, in quo subditos habemus viginti sex, et hos milites potius quam agricolas, a quibus

¹⁾ 1611. 11. maja u Pragu, darovao je kralj Matija II. prepozituru Glogovnicu kolegiju jezuit, u Zagrebu. — Orig. u kr. zem. arhivu: Acta coll. S. I Zagr. fasc. 2. Nro. 56.

sexaginta floreni annui hactenus aegre nobis venerunt. In vicinia horum a militiae praefectis locati sunt novem Valachi Rasciani, qui non duntaxat decimas frumenti, quas ex agris nostris, quos puros invenerunt, pendere deberent, ausu temerario subducunt, verum etiam quorundam pratorum, agrorum, silvarum, neque colonis, neque nobis liberum usum permittunt; spes tamen est eorum audaciam aliquando ab ipsorum magistratu comprimendam. Ad eandem praeposituram pertinent oppidum seu pagus quidam Tkalecz dictus, qui triginta sex habet rusticos subditos, quorum census pecuniarius nullus est, labores tantum praestant, circa frumentum et vinum acquirendum; unde, si excipiam operas et expensas in familiam, habemus in praesentia circiter quinquaginta florenos nostrates. Pertinet eodem pagus Planina continens colonos viginti, quorum census in pecunia fere est quinque florenorum. Reliquum, quod partim in decimis, partim in laboribus pendunt, expunctis oneribus et expensis accedit ad florenos quadraginta. Pertinent denique ad idem beneficium agri quidam in territorio quodam Ludbreg dicto, qui cum longe absint, excoli a nobis non possint, hoc tempore illustri dominae Susannae Ratkaj ad libitum locati sunt annuatim pro sedecim florenis. Itaque tota praepositura Glogounicensis, quae olim in hoc regno Sclauoniae in redditibus annuis facile se potuit extendere ad mille et quingentos florenos, nunc bellis attrita et depressa, cum sibi adiunctis pagis ac bonis, deductis oneribus et expensis in praedia et familiam pendit centum et circiter octoginta florenos, vel ad summum ducentos pro temporum conditione, et frumenti ac vini pretio minore vel maiore. In bonis Kalecensibus huius praepositurae hoc eodem anno, ut vocant, sessio quaedam nobilitaris pratis, agris et sylvis constans, vulgo Spaniocz nuncupata, a nobili quodam Gregorio Palfi¹⁾ centum vngaricis florenis ad decennium pleno iure possidenda et colenda usui nostrorum accomoda coempta est, tali contractu et conditione, ut excurrentibus decem annis, eadem a nobis manu mittenda, suoque domino sit restituenda. Caeterum qui initiis societatis in hoc loco multum faverat, reverendissimus pater Simon Bratulich, eius corpori a nostris obvium et studiosis nostris, cum illud ex Vngaria, ubi mortem obierat reveheretur. In eius locum hoc anno episcopatu Zagrabiensi donatus est reverendissimus dominus Petrus Domitrouich, antea Quinqueecclesiensis antistes, qui in festo beati patris laudes et societatis depraedicaverat, qui dum a clero et regnicolis in cathedralem divi Stephani aedem introduceretur, habita est ab uno e nostris in templo cathedrali oratio,

¹⁾ 1611. mjeseca augusta pred zagreb, kaptolom dao je Grgur sin Ivana Palfija kolegiju zagreb, zapušteni posjed Spanovec uz potok Veliku u križevačkoj županiji na 10 godina. — Orig. u kr. zem. arhivu: Acta coll. S. J. Zagr. fasc. 8. No. 25.

cuius liberalitatem primum studiosi sunt experti, praemia enim diligentibus est elargitus. Amor etiam nationis Sclavonicae erga societatem in dies cum liberalitate incrementum sumpsit, nam hoc anno proceres regni nobis mille ducentos florenos pro debitis solvendis et nostrorum sustentatione donaverunt. Est et hoc non parvi erga nos amoris et observantiae argumentum, quod domino Ioanni Kruselio antea nominato Romam in quibusdam negotiis a comite Thoma Erdeodi ablegato, idem dominus comes nonnullique alii procerum in mandatis dederunt, apud sanctissimum dominum nostrum Paulum V. pontificem maximum causam amplioris foundationis collegii ageret; et quamquam non pro voto res evenit, fuit tamen tantum eorum benemerendi studium oblivione non obliterandum. Collegii dico, nam post donationem praepositurae Glogounicensis residentia Zagradiensis collegii nomen est sortita, superiorum tamen nullus adhuc rectoris habebat titulum. Praeterea hoc eodem anno, cuius supra meminimus, suburbano praedio domum familiae et iumentis impensis collegii erectam accessisse.

Anno 1612. vixerunt in hoc collegio tredecim, sex sacerdotes, tres coadiutores, quatuor per singulos distributi classes magistri docuerunt, Petrus Lubich Croata poësim, Wolfgangus Magerle Carniolus syntaxim, Martinus Matthiades gramaticam, Matthaëus Vodopia prima litterarum rudimenta. Scholae nobilitate et numero discipulorum floruerunt, ad aliasque classes hoc anno rhetorices schola addita. Ex studiis ad studia societatis nostrae bona indole iuvenis Marcus Zhegel se transtulit. Contiones in templo s. Marci tum festis, tum dominicis diebus doctrina etiam christiana duntaxat habita magno cum fructu. Quod ad confessiones attinet, in templo nostro paschatis tempore 3000 hominum sacramento eucharistiae sunt refecta. Indulgentia plenaria a sanctissimo patre nostro Paulo V. templo nostro concessa celebris fuit adeo, ut confitentium numerus iniri non potuerit. Illustrissimus ac magnificus dominus Istuanffi, vir magnae autoritatis, septuagenarius senex (a quo praedium Paukovec cum colonis aliquot habere supra notavimus) duos e nostris, qui ei qua sacrae missae celebratione, qua piis colloquiis solatio essent a superioribus expetivit et obtinuit. In feriis Pentecostes huius anni pro patre Martino Kaldi superiore, primum rectorem patrem Alexandrum Dobokaj Transylvanum Vngarum, qui ex Vngaria evocatus huc venerat, collegium Zagradiense accepit.

Crescentibus tandem annis numerus quoque sociorum Zagrabiae crevit. Nam anno 1613. numerati sunt socii quindecim, sacerdotes septem, quorum numerus imminutus. Pater enim Joannes Mislenovich Croata, conciniator et procurator collegii, vir maximi zeli, nullius osor laboris, nullique parcens difficultati, ubi pro gloria dei et proximorum salute agebatur, ad meliorem vitam migravit, eius non pauci sunt lachrymis obitum prosecuti. Humatus est in templo beatae virginis ante

summam aram. Ornaverunt funus reverendissimus Franciscus Ergelius Vesprimiensis episcopus, qui patri Mislenouich affinitate fuit propinquus. Cathedralis etiam ecclesiae divi Stephani canonici, aliqui et cives Zagrabenses accensis funalibus pompae funebri interfuerunt. In scholis laboraverunt quinque, pater Franciscus Segi Vngarus, primus Zagrabensis rhetor, Martinus Matthiades Silesius, Laurentius Chrysogonus Dalmata, syntaxista, Venceslaus Raushar Bohemus, grammaticus, Andreas Cobavius Carniolus, principiorum et elementorum magister. Caeteri coadiutores. Hoc anno donatum est nobis molendinum duarum rotarum in suburbio a magnifica domina Eua Istuanffia, conuige magnifici domini Ioannis Draskouitch. Accepimus antipendium et casulam ex viridi materia a magnifica domina Susanna Ratkay. Hoc eodem anno patris Alexandri loco datus est nobis augusto mense in rectorem collegii pater Nicolaus Coronius Silesius, rector secundus.

Anno 1614. aluit collegium duodecim, duo ex hoc numero in continua missione apud magnificum dominum Istuanffi versati, pater Stephanus More et Joannes Spisak Sclauus, coadiutor. Docendi munus in scholis exercuerunt pater Franciscus Segi, Laurentius Chrysogonus, Daniel Bastelius Carinthus, Venceslaus Raushar, Casparus Gorja Sclavus. Concionatoris in parochia Zagrabensi vices a nostris obitae. Viginti octo cives occulti haeretici, ac maxime erroribus Lutheri depravati, tum publicis tum privatis colloquiis nostrorum ad catholicam fidem sunt reducti, quibus duae nobiles matronae, cum iuvene item nobili accesserunt. Hoc anno item opera nostrorum perfectum, quod pridem in votis fuit, nimirum processio corporis Christi, raro sine tumultu peragi solita propter dissidia quaedam inter cives Zagrabenses et canonicos, tranquille est peracta. Ad stationes etiam carmina a nostris studiosis recitari coepta. Scholae triginta super trecentos numeraverunt discipulos, ingenio, indole, pietate insignes, qui hoc anno congregationis virginis annuntiatæ initium dederunt, litteris confirmatoriis Romæ obtentis.

Sequitur annus 1615., quo quatuordecim nostri collegium hoc incoluerunt, sacerdotes sex, magistri quatuor, totidem coadiutores. Venit hoc anno pater Stephanus Varadj Varadinensis Vngarus Zagrabiam doctum rhetoricam, cuius collegæ fuerunt Daniel Bastelius poëta, Venceslaus Raushar, syntaxista, Gasparus Gonan, grammaticus, Georgius Czvetich, principiorum magister. Studiosi fuerunt circiter quadringenti, qui tres exhibuerunt actiones, unam in ipsa studiorum renovatione de sancto Ambrosio, quo tempore illustrissimus ac reverendissimus Ioannes Erdeodi in cathedrali ecclesia Zagrabensi primum deo obtulit sacrificium. Alteram brevem et instar salutationis egerunt, dum illustrissimus Benedictus Turoczi regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclauoniae banatum acciperet, quæ dignitas eodem in Illyrico est, quæ proregis esse solet. Tertiam de vinea evangelica cum variis ex antiquo testamento symbolis

in festo corporis Christi in foro capituli Zagrabiensis dederunt. Sodalitas superiore anno inchoata validius est hoc anno confirmata, cuius declarationi, quae facta est die circumcisionis, interfuit reverendissimus dominus Petrus Domitrouich cum canonicis et praecipuo magistratu. Die 22. martii anni huius accepimus ad decem annos in subsidium sustentationis collegii cum consensu admodum reverendi patris nostri Claudii Aquauivae possessionem parochiae beatissimae virginis in Stanouich (!)¹⁾ serenissimi principis Ferdinandi archiducis coniugis beneficio; ea enim urgente magna domina Anna de Ancherin, illius parochiae proventus nobis liberaliter obtulit, cum onere tamen alendi eo in loco sacellani. Cum hac parochia habemus vineam unam, quae annuatim, nisi temporum sit iniquitas vel culturae ignavia, dat vini urnas nostrates fere trecentas, interdum etiam plures. Iure promontorii ad eandem parochiam pertinentis habemus vini centum et amplius quam viginti urnas; verum hae omnes praesente hoc anno, quo haec scribimus, sacellano, cuius alendi onus incumbit, praeter redditus quosdam unius molae eidem concessae, et alia quaedam minutiora stipendii loco sunt permissae. Habemus et agros tres, quorum unus bene amplus, quos una cum vinea subditi eiusdem parochiae, qui universim sunt 32 coloni, opera ac labore suo excolunt. Auxit quoque mors magnifici domini Nicolai Istuanffi libris opportunis nostram bibliothecam, supellectilem templi magnifica domina Susana Ratkaj duobus antependiis. Ad templum porro calices duo curati.

Annus 1616. cursus Zagrabiensibus acerbior fuit, nam ex quatuordecim, qui hic degerunt, duo sunt morbo extincti; alter erat pater Nicolaus Coronius Gliuicensis Silesus, annorum quinquaginta quinque, quorum supra triginta in societate magno eiusdem societatis exegit bono, in pluribus enim collegiis et residentiis rexit tum domesticos, tum externos. Hic dum tertium rectoratus annum decurreret, dissenterico morbo est extinctus, quem munitum sacramentis socii sepeliverunt in templo beatissimae virginis, funus deductum a reverendissimo Petro Domitrouich episcopo Zagrabiensi et a canonicis linteatis, civibusque Zagrabiensibus cadaver magna cum frequentia ad locum sepulturae 25. iulii deportatum est. Huc biduo post secutus est Jacobus Greditius Carniolus, principiorum magister, eodem morbi genere consumptus; primum hic a tyrocinio annum in societate agebat, in quo ad omne virtutis genus egregia fuit indoles, hic 28. iulii obdormivit in domino; sepultus in aede beatissimae virginis ad aram lateralem. Docuerunt hoc anno pater Stephanus Varadj rhetoricam, pater Martinus Matthiades poësim, pater Ioannes Czernekj Hungarus syntaxim, Leonardus Bagnus Istriensis grammaticam, Jacobus Greditius principia. Ad initium anni in magna

¹⁾ Stenjevec.

procerum et optimatum frequentia sanctum Stephanum Vngariae regem partita in duas dies actione studiosi spectandum dederunt. Praemia est reverendissimus Zagrabiensis episcopus elargitus. Dies vero sanctissimae eucharistiae duplici est actione decorata, quarum altera sub persona Melchisedech civitati superiori, altera de immolatione Isaac oppido canonicorum est dedicata. Exhibitae hic etiam fuerunt funerales caeremoniae illustrissimo ac reverendissimo cardinali Francisco Forgach, archiepiscopo Strigoniensi, cuius vita ab uno e nostris, patre Martino Matthiade in aede divi Stephani cathedrali coram clero et reverendissimo laudata epigrammatis etiam variis fuit illustrata. Inchoata etiam est nostri sacerdotis industria hoc anno corporis Christi ex civibus sodalitas. In praecipuis anni festivitibus tria millia nongenti apud nostros poenitentiae sacramentum obiverunt. Agni dei gestatione et usu aquae lustralis, quidam per veneficium claudus, morbo est et clauditate liberatus, quo remedio etiam arefacta cuiusdam manus pristinum vigorem recepit. Signum matutinum in memoriam resurrectionis dominicae institutum, multis iam annis in aede parochiali divi Marci neglectum, hoc anno sacerdos noster revocavit. Magnifica domina Susanna Ratkaj cathenula aurea et corona egregia statuam deiparae in templo nostro ornavit, quae etiam diversis temporibus tria antependia, duas casulas, calicem novum 40 florenis, et calicis tegumenta magni pretii templo nostro donavit. Demum nobilis quaedam vidua Petaicza usum vineae et agri boni nobis hoc anno contulit, donec a debitore, ad quem tam vinea quam ager spectat, debitum persolvatur.

Anno 1617. stetit Zagrabia quindecim sociis, uno interdum amplius, quorum septem sacerdotes, ex quibus professores duo, rhetoricae pater Martinus Mathhiades, poëseos pater Ioannes Czernekj; super hos tres magistri, syntaxeos Leonardus Bagnus, gramaticae Petrus Dzialenski, principiorum Marcus Maximilianus Diestel. Caeteri a re domestica fuere. Ex hoc numero pater Petrus Vragouicius a mense iulio superioris anni, post decessum patris Coronii rectoris, ad huius anni 1617. mensem aprem, eius vero diem 26., vices rectoris egit. Nam eodem die pater Georgius Forto Transylvanus Vngarus ex collegio Tyrnauensi, ubi post aliquot annos in missionibus in sumptos sex hebdomadis resederat, Viennam a patre provinciali Austriae Ferdinando Albero evocatus, et inde Zagrabiam missus, rector collegii ab eodem patre Vragouicio declaratus est. Vix vicereceptoratu pater Vragouicius perfunctus erat, cum ecce et vita defungitur, die enim 27. maii morbo erysipela in facie erumpente et sensim fauces strangulante, ad tertiam iunii vivendi pie finem fecit. Conditum eius corpus est in templo beatae virginis. Exequiae magna frequentia cum reverendissimi praesulis Zagrabiensis, et cathedralis ecclesiae canonicis, tum patrum familiae s. Francisci, tum civium ultro accurrentium celebratae. Erat is nobili loco hac oriundus

patria, qui triginta prope annis qua scholastico labore, qua ecclesiastae, qua coeteris muniis per varias Transylvaniae, Vngariae et regni huius oras perduravit, qui et unus fuit, qui primus societatis nostrae fundamenta istic cum patre Ioanne Zanitio iecit; dignus idem sermone nonnullorum iudicatus, cuius imago ad posteritatis memoriam cum patris Zanitii aeternam asservanda pingeretur. Is paulo ante morbum, quae pars sibi de patrimonio obventura esset, scripto se obligavit eam collegii huius futuram, quo etiam tempore ex legatis sibi a parente amplius florenis nostratibus centum rem familiarem adiuvit. Ea pecunia aliis eleemosynis, quarum partem reverendissimus Franciscus Ergelius Vesprimiensis episcopus obtulit, cella vinaria, cuius defectu in ruinoso penu vina pessum ibant, cellae vinariae fornix, fornici hypocaustum accomodatum, refectorio culina vicina cum fornice sunt exaedificata. Scholae magnopere, ut in subiectum civitati oppidum, ubi collegium est canonicorum, transferentur, ab iisdem laboratum, nec impetratum esset, duo ab illis ad minimum ex nostris petiti sunt magistri, verum nullis, quas non paucas afferebant, a reverendo patre provinciali Ferdinando Albero rationibus est impetratum. Itaque ludum illi (suorum nonnullis tyronum ex litteris a nobis advocatis), minorum litterarum aperuerunt. Unde licet aliquantum imminutum non tamen indiligentem discipulorum habemus numerum. Duo ab illis data drammata, altero Goliath funda et lapide Davidis concidit, altero serpens aeneus typus e cruce pendentis salutis exhibitus est; utrumque dum corporis Christi solemnia essent. Novus prorex (banus ut hic vocamus) Nicolas Tersachky Frangepan comes, dum totius regni comitiis dignitatem a caesarea maiestate acciperet, cum plausu magnatum ab eisdem est versibus salutatus. Tres illorum religionem amplexi, unus beati Francisci, duo nostram: Casparus Radich, Gregorius Eperiesi. Porro cum hic rari a fidei rectitudine devient, quinque tamen ad rectum credendi tramitem reducti. Turca etiam in confiniis Turcarum, ad quae a nostris excurritur, Mahometo execrato diu cupitum Christum induit. Plures alii opera nostrorum ad bonam frugem a bellicatu, a deserta religione aliisque vitiis reducti. Non paucae item opera unius nostri patris Ludovici Lucari per vias columnae crucibus insignitae, aut erectae recentes, aut veteres renovatae, pietatis praetereuntes commonefaciunt. Hoc anno 20. die mensis maii illustris vidua domina Euphrosina Palfi ad suae voluntatis libitum concessit collegio duos colonos, usui nostro, quod domesticos labores etiam curru praesent, valde opportunos. Eadem ornamenta templi acupicto et rosis eleganti albo antipendio auxit. Bibliotheca quoque libris pretio plus quam quinquaginta numorum aureorum locupletata. Denique hoc anno illustri dominae Susannae Ratkaj (quae velum arae exornandae perelegans dono etiam obtulit) agri illi in Ludbreg locati sunt, quorum cum de praepositurae Glogounicensis bonis actum fuit, in anno 1611. meminimus.

Annus 1618. primus fuit, qui suo integro decursu personarum collegii Zagrabiensis numerum sextum supra decimum vidit, et ex iis sacerdotes septem, quorum unum patrem Adamum Holouitium rhetorem et eius in litteris docendis quatuor collegas: Petrum Dzialinski poëtam, Gasparum Gonan syntaxistam, Michaellem Velikaj grammaticum, Hieronymum Czunko postremae scholae moderatorem, et praeter hos quinque reliquos curae domesticae deputatos numeravit. Cum incremento personarum sumpsere incrementum et bona collegii sanctissima dei providentia opem sibi servientium inopiae adferente. Vineam quandam patres ordinis sancti Francisci reformati venalem proposuerunt, de qua propter pretii magnitudinem multi cogitationem abiecerant, nostris ne simplex subrepere potuit. Interea deus piam mentem illustris dominae Susannae Ratkaj, consortis illustris domini Benedicti Thuroczi bani horum regnorum proximis annis in domino defuncti, iniecit, pretium vineae exsolveret, et eam deinceps perpetuis collegii usibus condonaret. Quanquam enim si eius vineae pretium deponeret, optimae benefactrici pater rector agros quosdam satis amplos, quos superiori anno sibi locatos habebat, ulterius ad illud usque tempus retinendos offeret, donec concessam expleret reciperetque pecuniam; noluit tamen eo contractu sibi fieri satis, hac occasione bene de nobis merendi oblata. Itaque quadringentos florenos nostrates deposuit, et vineam spatio ac sylva adiuncta amplam, situ nobilem, loco nobis perquam accomodam, de caetero nostram esse voluit, ac perpetuam fecit. In vicinia huius vineae iacet altera, quam nostros initio sui huc aduentus emisse antea retulimus. In hac pro recreatione nostrorum hoc eodem anno domus lignea facta, et in praedio Planinensi nostrae praepositurae Glogounicensis cellarium ex lapidibus erectum, et cellario domus lapidea superposita. In paraecia (!) quoque Stanouicensi, anno 1615. a foemina magnae auctoritatis collegii huius necessitatibus ad decennium data, tam turris, quae uno nuda pariete et sine debita compage lapsam in dies minabatur, quam reliqua templi facies, intus forisque visu turpis, eleganti specie renovata exornataque est. Hoc item anno nobili Gregorio Palfi praeter centum illos florenos, quos anno 1611. pro bonis Spanocz, ab eo nobis annorum decem spatio concessis, datos diximus, novo simili inito contractu, triginta alios eidem petenti numeravimus, et litteris confectis bona eadem quinque annis supra decennium amplius possidenda rursus nobis obtulit. A rebus domesticis ut ad scholas, aliaque gradum faciam. Scholae floruerunt et honesto numero, qui tercentesimum excessit, et honesta nobilitate, qua maiori parte constiterunt. Diligentiae specimen eleganti drammate, quo rusticus bonos mores docebatur, et praemiorum liberalitate generosi domini Christophori Mernauchich regni huius vicebani datorum distributione, sub tempus bacchanaliorum spectante episcopo et plurimae regni nobilitati praebuerunt. Caeteris pietatis exemplar sunt Parthenii sodales, quorum bono virtutis odore provocatus

reverendissimus antistes Zagrabiensis Petrus Domitrouich, in album beatae matris sodalium nomen suum inscribi petivit; ex iis societatis institutum duo amplexi Georgius Mattota et Matthias Bundich. Dum magistratus suos pro more renovarunt, suae piaae institutionis formam proceribus et nobilitati regni duplici theatro proposuerunt; spectarunt altero corporis et animae exilium, altero divum Hermannum! Christi puerali victorem et collusorem. In templo parochiali sancti Marci, ubi conciones ad plebem ordinarie pronunciantur, quadraginta horarum publica et solemnis supplicatio agente patre Ludouico Lucari hoc anno instituta est; res quia hic visa auditave nunquam inita imprimis et difficilis, postea etiam grata et suavis accidit. Ad numerum gregis Christi ab haereseos pravitate reducti decem, ex quibus anabaptista unus. Quod subiiciam rarum quiddam est et iucundum, sed arcano dei consilio permittendum. Die ultima mensis maii, inquam tunc octava ascensionis incidit in templo nostro bono spatio a collegio dessito beatae virgini dicato, ipsi magnae dei matri, gloriosum Christi filii ad dexteram aeterni patris considentis triumphum, coelestis curia (!) musica vocum modulatione ex concentu adgratulari visa est, nam circa nonam vespertinam, voces auditae sunt permultae suis choris et tonis distinctae, antiphonem „Regina coeli“ ab initio usque ad finem, arte huic patriae et insolita neque cognita decantantium, idque cum foribus obseratis, lumine extincto; ea vocum et artis concinnitate, quam hic nec fas est suspicari, et vicinis rei novitatem stupentibus, et praesentibus nonnullis maturaee aetatis studiosis prae porta ipsa audientibus, fieret, tollit omnem inficiandi miraculum facilitatem facultatemque. Hoc illud templum est beatae virginis a collegio longiuscule situm, in quo nostri sacris operantur, quod a civibus societati datum, quamquam ii non repetant, ut tamen patribus Cappuccinis huc advocatis, et idem templum et locum ei adiunctum omni aedificio vacuum, ad monasterium ab eis ibi extruendum concederemus, oratore episcopo oraverunt, iidemque ad templum sanctae Catharinae totum deformatum, collegio proximum, usibusque nostris commodius praeparandum, opem in calce et lateribus promiserunt. Quorum desiderio cum a reverendissimo patre nostro generali factum sit satis, promissumque, ut et patres Capuccini in loco optato, quae moliuntur extruant, et divae Catharinae templum, ubi nostris usibus praeparatum fuerit, beatae matris aedem eisdem consignemus, suppetias in praesentia pro eo opere quaerimus, quas illustris domina Ungara Euphrosina Palfi de Erdöd, consors illustris domini Georgii Ratkaj, non exiguas, et in colonis, qui operas faciant, et in pecuniâ, qua hoc opus promoveatur, latura et praestitura est.

D o d a t a k.

Habet collegium hoc Zagrabiense societatis Jesu praeposituram beatae Mariae virginis de Galgonza, et cum ea praeter ecclesiam prin-

cipalem in aliis dissitis locis, et diversis comitatibus regni Croatiae alias minores ecclesias olim curatas, ut subscriptiones et litteraria instrumenta anni 1609. ostendunt, in quibus legitur: Nos Nicolaus praepositus sanctae Mariae virginis de Galgonza et Philippus plebanus sanctae Mariae de Kallecz, Thomas plebanus in Planina etc., totusque conventus Cruciferorum sancti sepulchri dominici, canonici Hierosolymitani sub regula sancti Augustini. Nunc cum bonis possidet collegium easdem; et quidem in Kallecz novo tenet ecclesiam beatae Mariae virginis contiguam curiae nostrae dominali, ex qua praeter aliam portam maiorem et publicam est etiam privata pro transitu nostrorum e curia per hortulum, ad templi partem arae maioris; similiter a Kallecz novo habet aliam ecclesiam parvam mediae circiter horae spatio dissitam divisionis apostolorum in loco solitario procul ab habitationibus, cum cemeterio pro solis subditis Kalcensibus collegii, quae utraque ecclesia videtur olim fuisse sub cura et administratione spirituali, sicut pagus sub cura temporali unius e religiosis praepositurae regularis Glogoncensis.

Hactenus sub societatis et collegij Zagrabiensis dominio nec sunt ecclesiae parochiales nec filiales ullius parochiae, solum rector suas vices committebat alicui e vicinis parochis, et ideo aliquando Kalzensibus administrabat sacramenta parochus in Pressecka, alias parochus in Rauna; donec tandem acquisito bono Dubovecz, quod collegium emit 4 a familia comitum Keglievich et translato in nos iure patronatus, vicinae parochiae Duboviczensis, rectoribus placuit dominum parochum Duboviczensem deputare, ut suum vicarium (non ut parochum), qui duas dictas ecclesias curaret et sacramenta Kalcensibus praeberet in absentia nostrorum; qui alias semper ad festa natalia et Paschalia et tempore autumnalium vacationum etc. per annum saepius solent ibidem in ecclesia curiae contigua convocari et sacramenta administrare.

Praedictas duas ecclesias in Kallecz a memoria hominum, qui iuridice testantur, nunquam a 70 annis quod sciatur, fuisse visitatas nec ab ordinario Zagrabiensi episcopo, nec ab eius delegato constat. Proxime solus dominus Lukawski canonicus Zagrabiensis, qua archidiaconus Kemplek visitans vicinas parochias, ex improvise veniens in Kallecz utramque dictam ecclesiam ausus est visitare; officiali Kalcensi et aedituo qui venientem non excipere pulsu campanarum, nec voluere dare claves ad calices nostros in sacristia; ad id compulit, comminatione excommunicationis, ita, ut abeunti debuerint compulsare, et progredientem extra pagum comitari ad ecclesiam solitariam divisionis apostolorum visitandam, in qua cum desit campana a furibus sublata, cemeterium non cinctum ad eius gustum, nec satis illita lignea structura, reliquit interdictum locale etiam pro cimiterio, quod statim a domino episcopo per litteras ad parochum Duboviczensem datas, fuit sublatum.

Priopćio: *E. Laszowski.*